



Disputatio juridica inauguralis de haereditatis petitione

<https://hdl.handle.net/1874/340720>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E

HÆRE D I T A T I S P E T I T I O N E,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

J. U. D. ejusdemque Facultatis in inclytâ Academia Ultrajectinâ

Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicî consensu , Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decreto ,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus &

Privilegiis ritè consequendis ,

Eruditorum Examini subjicit

ABRAHAMUS à GERWEN, LUGDUN-BATAV.


Ad diem 12. Martii horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academix
Typographi , clo Ioc LXXXVIII.

S I T A T I S H E D I T I O N E P E T I T O I N E P
Ó M N I B U S
J U R I S P R U D E N T I Æ
F A U T O R I B U S
E T
C U L T O R I B U S.



Трактатъ о Раненіи
и Очищении отъ ранъ



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
HÆREDITATIS
PETITIONE.
T H E S I S I.



Enuinas vocabulorum indagare significations, non solum ordo cognitionis, quo primum nomen nosse oportet. *I. i.*
ff. de Just. & jur. sed & magna exigunt utilitas. Cum enim voces notæ sint rerum *I. 7. §. 2. ff. de suppell. legar.* certe qui in illis aberraverit, in cognitione rerum haud feliciter versabitur; Quæ cum ita se habent nostri quoque instituti erit, convenientem Rubricæ Dissertationis nostræ sensum paucis explicare.

I I.

Vocabulum *Petitionis* eleganter exprimit Ulpianus in *I. 178.*

A 2

§. 2.

4. DISPUTATIO JURIDICA

§. 2. ff. de V.S. inquiens: Petitionis verbo in rem actionem significari, & in l. 28. ff. de Obl. & Att. Actionem in personam inferri, petitionem in rem. Cur autem actiones in rem dicantur petitiones, ratio manifesta est, quoniam illæ immediatè in rebus ipsis ab aliis possessas, diriguntur, & ad illas domino restituendas comparatae sunt. Alterum Rubricæ vocabulum est, *Hæreditas*, quæ vox in jure ambigua est. interdum enim ad res corporales, ita, ut bona & corpora hæreditaria, quæ defunctus reliquit, denotet, refertur: Interdum autem & proprie rebus in corporalibus annumeratur, & a rebus hæreditariis distinguitur *tit.* Inſt. de reb. corp. & incorp. diciturque in jure consistere. l. 208. ff. de V.S. & in lege 178. §. 1. eod. Ulpian. ait: Hæreditatem esse juris nomen: quo sensu etiam a Theophilo Inſt. de reb. corp. & in corp. dicitur jus quoddam certis modis constitutum, & intellectu comprehensum, quod alieni patrimonii universalem dominum jure efficit. Et definitur à Juliano successio in universum jus, quod defunctus tempore mortis habuit l. 62. de R. f.

I I I.

His ita breviter explanatis, videamus ordine, quot modis petatur *Hæreditas*. Petitur autem vel ex Jure Civili, idque vel tota, vel pars, aut ex jure Prætorio, vel ex Senatus Consulto, quæ omnia succinctum pro captu ingenii nostri excutere sedet animo.

I V.

Hæreditatis petitio, est actio in rem, bonæ fidei, quæ competit hæredi, adversus eum, qui pro hærede vel possessore possidet, ad id, ut restituat hæreditatem cum fructibus & accessioni-

cessionibus. Dicitur *in rem*, quod apertissimum est ex eo, quia datur adversus possessorem non obligatum ex contractu, sed ratione rei possessæ, ut illam scilicet restituat, quod proprium & commune est omnibus in rem actionibus, §. 1. *Instit. de action.*

V.

Additur in definitione *bonæ fidei* quamvis enim olim incertum erat, an inter bonæ fidei judicia commumeranda esset hereditatis petitio, an non, teste Imperatore in §. 28. *inst. de aet.* propterea quod sit *actio in rem* l. 27. §. 3. ff. *de Rei Vind.* bonæ fidei autem actiones tantum in personam sint. arg. §. 31. *inst. de aet.* Imperator tamen aperte illam bonæ fidei esse voluit d. §. 28. & l. ult. §. fin. C. b. t. & recte, cum enim in hereditate pro ratione variarum circumstantiarum plus vel minus præstandum veniat, & ea propter illud judicis arbitrio ex æquo & bono definiri debeat, ideo hæc petitio strictis judiciorum regulis includi, & certa formula concludi nequit.

V I.

Competit hæc petitio heredi, quæ ideo necessaria est, quod licet ipso jure hereditatem habeat, statimque post defuncti mortem dominio ejus gaudeat l. 138. & l. 193. *de R. J.* possessione tamen quam privata sua auctoritate occupare nequit, privatus est l. 23. ff. *de acquir. volunt. poss.*

V II.

Datur autem non tantum testamentario sed & legitimo, sive
A 3 suo

6 DISPUTATIO JURIDICA

suo nomine , sive per se , sive per alios effectus sit *I. 2. & 3. b.*
t. imo hæredi hæredis, ut si Titio , qui Sejo hæres ex stitit , Cajus
 hæres factus sit : hic Cajus & Seii & Titii hæreditatem suam esse
 intendere potest *d. I. 3.* idque ex antiqua regula juris , quæ vo-
 luit , hæredem hæredis , Testatoris esse hæredem . *I. ult. C. de he-*
red. inst. & in I. 65. ff. de V. S. Ulpian. ait hæredis appellationem
 non solum ad proximum sed ad ulteriores referri : nam & hære-
 dis hæres , & deinceps hæredis appellatione continetur . Datur
 præterea filio emancipato contra parentem de hæreditate & succe-
 sione materna *I. fin. ff. b. t.* datur & ematori hæreditatis . *I. 54. ff.*
b. t. non quidem directa , quæ solo hæredi , sed utilis , quia lo-
 co hæredis est . *I. 13. §. 4. b. t.*

VIII.

Hactenus dictum cui hæreditatis petitio competat , ex-
 minandum jam est , contra quem detur , datur autem adversus
 eum , qui pro hærede vel pro possessore possidet *I. 9. ff. b. t. &*
I. 7. C. eod. neque distinguendum utrum totam hæreditatem , an
 etiam partem minimam possideat . *I. 9. & 10. eod.* Pro hærede vero
 possidere dicitur , qui tanquam hæres possidet , idque vel bona
 vel mala fide , bona , si putat , se hæredem esse , mala , si sciat
 se hæredem non esse & tamen pro hærede possidet . *I. 11. ff. b. t.*
§. 3. inst. de interd. Pro possessore possidet qui nullum titulum suæ
 possessionis potest reddere , & interrogatus , cur possideat , re-
 spondet , quia possideo , *I. 9. & seqq. b. t.* Non solum autem
 contra illum qui pro possessore possidet , sed & utiliter dari po-
 test contra illum , qui non possidet , ut si quis sese liti obtuerit .
I. 54. ff. 45. b. t. ubi Celsus ait , qui se liti obtulit , cum rem non
 possideret , condemnatur: hic enim , etsi rem non possideat , ni-
 hilominus tamen hac actione , conveniri potest , sed tum demum
 si eo mendacio actorem deceperit , isque ab initio litis ignora-
 verit,

verit, eum non possidere. d. l. 45. Simili modo, si quis dolo malo possidere desit: l. 13. §. 14. b. t. quo referri potest regula juris in l. 131. de R. J. in qua sic Paulus: Qui dolo possidere desierit, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est: & l. 150. eod. Quæritur autem, an tali casu quo quis dolo possidere desit, hæres & veterem & novum possessorem convenire possit? R. cum distinctione, aut enim vetus possessor electus est, quo casu non liberatur novus, sed electo novo, liberatur vetus. l. 13. §. 14. ff. b. t.

I X.

Datur præterea contra emtorem hæreditatis; non quidem directa, ut diximus, quia illa tantum hæres tenetur, non est autem hæres emtor; quia autem emtor loco hæredis est, utili convenitur, ut si venditor non exstet, vel modico vendiderit bonæ fidei possessor l. 13. §. 4. b. t. eodem jure habetur, qui hæreditatem à Fisco tanquam vacantem emit d. l. 13. §. 4. eod. quin imo & debitor hæreditatis pro possesso habetur, quoniam juris possessor est. d. l. 13. §. ult. nec resert an ex contractu sive ex delicto sit debitor. l. 14. eod. l. 5. §. ult. ff. fam. ercisc. denique & contra hæredes ejus, qui pro hærede vel pro possesso possedit. l. 13. §. 11. ff. b. t.

X.

Ex prædictis itaque liquet, quid sit hæreditatis petitio, cui detur, adversus quem, consequens his est, ut effectum petitio-
nis hæreditatis scrutemur, qui in eo consistit, ut res hæredita-
riæ restituantur cum fructibus & accessionibus; quod ipsum, ut
melius innoteat, examinandum, quales res hæreditariæ hac
actione

8 DISPUTATIO JURIDICA

actione petantur, & quid circa fructus observandum veniat.

X I.

Petuntur hac actione res universæ, sive jura sive corpora sint. l. 18. §. ult. b. t. non tantum hæreditaria corpora sed & ea, quæ non sunt hæreditaria, quorum tamen periculum adhæredem pertinet, ut res pignori datæ defuncto, commodatae vel depositæ l. 19. ff. b. t. item res in quibus possessor retentionem non etiam petitionem habuit, veluti si juraverat defunctus petitoris rem non esse, & decesserit l. 19. §. 2. eod. Excipiuntur servitutes, non quidem ideo, quod non sint hæreditariæ, ad jura enim, quæ hic veniunt, spectant; sed quia restitui nequeunt, ideo in hæreditatis petitionem non veniunt l. 19. §. ult. b. t.

X II.

Effectus porro in eo consistit, ut fructus & accessiones restituantur, illis enim augetur hæreditas; circa fructus autem distinguendum est inter bonę & malę fidei possessorem. Male fidei possessor non tantum de perceptis, sed & de iis, quos percipere potuisset, tenetur l. 25. §. 4. ff. b. t. l. 1. C. eod. Bonę fidei possessor, sive sint fructus naturales, sive industriales, nomine perceptorum fructuum non tenetur, nisi factus sit locupletior l. 25. §. 11. ff. b. t. locupletior factus est, qui rem, aut aliquid ex re habet. l. 4. ff. de except. Tempus autem, quo locupletior factus est, habetur in l. 36. §. 4. b. t. scilicet rei judicatae.

XIII. Quæ-

INAUGURALIS. 9

X I I I.

Quæritur tandem, quid de impensis statuendum? R. quod bonæ fidei possessor necessarias & utiles impensis, sive res existet sive non, deducat. l. 38. 39. ff. b. t. non autem ita voluptuarias, d. l. 39. Malæ fidei possessor, etiam necessarias d. l. 38. l. 4. C. eod. imo utiles, modo res existet & sit melior redditum d. l. 38. in fin. non vero voluptuarias d. l. 39. interim tamen ipsi potestas est, ut possit illa tollere, quæ sine detrimento ipsius rei tolli possunt. d. l. 39. §. 1.

X I V.

Hactenus de tota hæreditatis petitione, si quis porro pro parte tantum hæres sit, pro sua quoque parte potest agere contra possessorem, sive totam hæreditatem, sive partem possideat, idem enim jus servatur in parte quod in tota l. 76. ff. de Rei Vind. non tamen ideo est judicium particulare, quia plures simul in universum jus succedunt. Non solum autem certa sed & incerta pars petitur. l. 1. §. ult. ff. si pars hæred. pet. l. 3. eod.

X V.

Absoluta civili hæreditatis petitione, sequitur ordine illa, quæ ex jure prætorio possessoria hæreditatis petitio vocatur. Bonorum possesso est jus persequendi retinendique patrimonii sive rei, quæ cujusque, cum moreretur, fuit l. 3. §. 3. ff. de bon. poss. Bonorum igitur possessoribus, quos prætor tuetur, datur possessoria hæreditatis petitio, quæ breviter ita definiri potest, quod sit præatoria, bonæ fidei, quæ datur bonorum possessori, contra eum, qui pro hærede vel possessore possidet, ut tantum con-

B


sequa-

10 DISPUTATIO JURIDICA, &c.

sequatur, quantum hæres ex jure civili consequeretur. *l. 2. ff.*
de poss. hared. pet.

XVI.

Tertia & ultima hæreditatis petitio ex Senatusconsulto est Fideicommissaria, quæ definitur actio civilis, competens iis, quibus ex Fideicommisso restituta est hæreditas. *l. 1. ff. de fideicom.*
hared. pet. aduersus illos, qui pro hærede vel possessore possident, ad consequendum idem jus, quod in actione directa præstatur.
l. 2. ff. col.



C O.



COROLLARIA.

I.

Jus naturale est immutabile. I. 3. i. ab.

II.

Concubinatus Jure Civili non est permis-
sus.

III.

Scriptura non est de substantia legis.

IV.

Usucapio ex jure naturali est toleranda.

V. *Qua-*


V.

Quarela inofficii testamenti moribus in-
troducta est.

V I.

*Jus naturale recte definitur in pr. Instit.
de jure Nat. Gent. & Civ.*





*Quærlundusq[ue] telluris suæ p[ro]p[ri]etatis
modificat.*

De natura & prop[er]tate p[er] se.

